

Etum relinquat magis notabilem. Quod etiam Cartes. *Part. princ. IV. n. 52.* dilucidè indicat, etiamli concisè & breviter, undè Varenius *l. 1. Prop. 13. Geogr. Gen.* illius mentem haud affecutus, dicit: Hujus quidem proprietatis demonstrationem Cartesius ex sua hypothese simulet se afferre, at ego eam ex ipsius verbis non possum concipere.

§. XVIII.

Non tamen diffitendum etiamli supra dicta phœnomena satis regulariter sese habeant, alias tamen longè plurimas occurrere anomalias. Sic alicubi nullus sentitur æstus ut in plerisq; maris mediterranei litoribus, mari Balthico &c. In aliis vero magnos & vehementes ut in sinu Arabico, de quo Veteres (referente Scaligero) scripserunt, tantum esse æstum, ut Moses cum Israëlitis sine periculo illud transierit. In Hiberniæ deniq; Flandriæ & Angliæ litora affluxus fiunt ingentes, adeo ut Tamesis Londinum usque æstum sentiat. Aliqua loca sub eodem Meridiano vel proximè sita, non tamen eadem hora inundationem patiuntur. Sic quidam lacus & stagna Oceano vicina inundant; quin etiam puteis ad Gades & Hispalim hoc tribuunt Historici. Quicquid horum omnium sit, id causam agnoscat necesse est vel litorum viciniam, distantiam, altitudinem, vel depressionem; Ventorum occursum, aliam & aliam fundi maris dispositionem, & quæ sunt plura his similia ac Kircherus etiam *lib. 3. pag. 139.* satis prolixè recenset.

Hæc & alia longe plura quæ ulterius persequenda essent, urgens spatium chartæ & magis temporis, me invitum relinquere cogunt; idcirco manum de Tabula, & soli DEO sit honor.



COROL-